Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2631
Quelle:
Copyright:

ſtantis, quod Sec. XIV. condidit *Johannes Gorinus* ſeu *de Goro* dictus a loco natali *de S. Geminiano* in *Tuſcia* O. P. quamvis in *Prologo* totius Operis dicatur Autor *Helvicus Teutonicus* ejusd. Ord. quo ſub nomine vel *Johannem* latere voluiſſe dici poteſt, vel *Helvicum* illum egregium Plagiarium fuiſſe, niſi mitiſſime illum Operis hujus Promulgatorem in *Germania* habere velis. Interim utroque nomine typis illud proditum eſt, et quidem *Helvico* tributum *ſ. l.* et *a.* f. *Johanni* vero *Venetiis* 1497. et 1499. item *Baſileae* 1499. f. Libris noſtris *Tribus* praemittuntur *Capitum* Elenchi et Tertio excepto *Prologi*, et Tertius quidem Similitudines a *Vegetabilibus et Plantis*, Quartus a *Natatilibus et Volatilibus*, Quintus demum ab *Animalibus terreſtribus* repetit. Multa ſane in his fabuloſa obtrudi, non eſt, quod moneam. Libri III. C. 1. initium eſt: *Abdicatio temporalium aſſimilatur putationi arborum* &c. De Autore tradunt Bibliothecarii O. P. T. I. p. 528.

DCLXXXVIII.

693 Codex membraneus lat. Sec. XIII. aut XIV. Folior. 194. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque diſtinctus, et olim *Conuentus fratrum ſancte Crucis in Colonia* complectitur *Sermones* ſacros breves, et primum quidem, ut dici ſolet, *de Tempore*. Sermo primus *Dominica prima Aduentus domini* in illud: *Emitte manum tuam de alto* &c. incipit: *Ecce Kariſſimi. Sicut naufragi in medio fluctuum periculoſiſſimorum et captiui in medio hoſtium ſeuiſſimorum deſiderant liberacionem* &c. Pertingunt hi Sermones usque ad *fol.* 87. cujus p. 2. incipit interjectus *Sermo In Synodo de dignitate ſacerdotali*, hoc tenore: *Uos eſtis genus electum regale ſacerdotium* &c. *Beatus petrus princeps apoſtolorum et prelatorum uicarijs ſuis ipſum imitantibus ſcripſit premiſſa verba* &c. Sequuntur Notanda *de Electione multiplici*, Sermo *de querendo Domino* et Sermo *ad clerum ſiue in Aduentu*. Poſt haec *fol.* 94. p. 2. *Incipit proprium ſanctorum*, et quidem *de beato andrea*, cujus Sermonis initium eſt: *Extendam palmas meas ad dominum. Exod. 9. Hoc uerbum Moyſi poterit dicere beatus Andreas* &c. Adſunt etiam Sermones *in translatione Franciſci*, et in Feſto *Anthonij confeſſoris de ordine minorum*, quem *Gregorius* IX. 1232. inter Divos retulit. Item de SS. *Mauritio* et *Urſula* &c. *Fol.* 159. ſuccedit *Commune Sanctorum*, et *fol.* 169. praemiſſo Elencho Collectio Exemplorum potiſſimum e *Vitis Patrum*. Finem faciunt a *fol.* 191. Fragmenta IV. *Sermonum*, quorum primus *de triplici Pluuia* inſcribitur.

DCLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 748
XIV. Folior. 290. 8. per duas columnas non una manu exaratus, et quondam ad *Wenc. Roſſum* Sa-